CONCILIVM PROVINCIALE REGNI POLONIÆ.

Quod

PAVLO V. PONTIFICE,

BERNARDVS MACIEIOWSKI,

S. R.E. Presb. Card^lis Tit: S. Ioannis ante Portam Latinam, Archiepiscopus Gnesnensis, Legatus Natus, & Regni Poloniæ Primas, Primusq; Princeps,

habuit Petricouiæ.

Anno Domini, M. DC. VII.

CRACOVIÆ,

In Offic: Andreæ Petricouij S.R.M. Typographi.

Anno Domini, 1630.

Edictum de obſeruandis Decretis Concilij Prouiucialis.

ALBERTVS BARANOWSKI,

Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Gneſnenſis, Legatus Natus, & Regni Poloniæ Primas, Primusq́; Princeps.

ILLmis & Reuerendiſs: in Chriſto Pa-
tribus, DD. Archiepiſcopo Leopoli-
enſi, aliiſq; Epiſcopis Prouinciæ no-
ſtræ, ac eorum Capitulis; necnon Præ-
latis omnibus, & vniuerſo Clero eiuſdem Prouin-
ciæ, pacem Domini perpetuam, ſalutemq; ſempi-
ternam. Quæ ante biennium Illuſtriſs: bonæ me-
moriæ, Dominus BERNARDVS Cardinalis MA-
CIEIOVVSKI, Archiepiſcopus Gneſnen: præde-
ceſſor noſter, nouiſſimę Synodi Prouincialis Acta,
Romam recognoſcenda remiſerat, ea nuper mihi
reddita ſunt, vnâ cum Breui SS. D. N. tenoris hu-
iuſmodi. *Venerabili Fr. Alberto Archiepi-
ſcopo Gneſnenſi.* Et intus: *PAVLVS PP. V. Ve-
nerabilis Frater, Salutem & Apoſtolicam benedi-*

ctionem. Remißimus Acta Synodi Prouincialis istius Regni, quæ dilectus filius Vincentius de Seue, Archidiaconus Metropolitanæ Ecclesiæ istius Gnesnensis, ad nos detulit: vt si nobis probarentur, illa auctoritate nostra confirmaremus. Cuncta quidem piè, ac prudenter constituta fuisse reperimus: diligenter enim Synodi decreta legimus, atque cōsiderauimus, & vt Venerabiles fratres nostri, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, interpretes Sacri Tridentini Concilij, ea quoq; accuratè recognoscerent, iußimus: propterea nonnullis mutatis, illa approbauimus. Unum quod maximè refert, & quod Fraternitatem tuam diligenter curaturam esse confidimus, remanet; scilicet, quæ summa pietate, atque prudentiâ sancitâ fuerunt, pari zelo atq; diligentia executioni mandentnr; ad Dei laudem & Ordinis Ecclesiastici incrementum, & totius nobilißimi Regni Poloniæ vtilitatem. Hortamur igitur atq; Apostolica auctoritate, quã à Dei benignitate accepimus, iubemus: vt Synodi Decreta omnia, quæ ad Sacrorum Canonum præscriptum, omnes istius Regni Episcopos, omnesq; eorum Diœcesanos obstringunt, ab omnibus, quàm diligentißimè & inuiolatè seruentur.

uentur. Labores nostros Pastorales adeò graues, nec vnquam intermittentes, vt orationibus tuis adiuues Venerabilis frater desideramus, & benedictionem nostram fraternitati tuæ peramãter tribuimus. Datum Tusculi, sub Annulo Piscatoris, quarto Nonas Octobris, M. DCVIII. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Subscriptio Secretarij ad calcem breuis, *Petrus Strozâ.*

Nos igitur pro Archiepiscopalis officij curâ, nobis per Apostolicam hanc cohortationem iniũctâ, proq; paternâ charitate, qua gregem nostrum vnicè in Christo diligimus, Decreta memoratæ Synodi, Apostolicâ, vt præmissum est, auctoritate firmata, ad communem omnium vtilitatem, typis fideliter impressa, in lucem emitti iussimus & promulgari; vti quidem ex nunc promulgamus; mandantes omnibus Metropolitanæ ac Primatiali nostræ iurisdictioni subiectis, vt ea cum debitæ obedientiæ spiritu suscipiant, atq; obseruent. Vestrum etiam erit, Illustriss: & Reuerendiss: confratres, nobiscum, prompto animo, voluntatem SS. Patris D. N. suscipere, & in sua quisq; Diœcesi pro pastoralis curæ studio, disciplinæq; Ecclesiasticæ zelo, pium desiderium nostrum adiuuare: vt quæ omnium vestrum cõsilio atq; assensu ad commu-

nem huius Prouinciæ vtilitatem, & animarum nobis creditarum ſalutem, decreta ſalubriter ſancitaq́; fuêre, ea nunc ab omnibus promptiſſimo ſanctæ obedientiæ ſtudio amplectantur, teneantur, & inuiolabili ſemper vſu obſeruentur. Deus Opt: Max: vos quàm fæliciſſimè ac diutiſſimè ſeruet incolumes, gratiæq́; ſuæ diuinæ donis maioribut in dies adaugeat, ad Eccleſiarum veſtrarum vtilitatem, & animarum vobis creditarum ſalutem. Datum Louicij, die 12. Martij. Anno D. 1609.

ACTA & CONSTITVTIONES SYNODI GNESNEN: PROVINCIÆ,

Anno Domini, Millesimo, Sexcentesimo Septimo, Die octaua Mensis Octobris inchoata, & ad diem duodecimã Mensis eiusdem continuata.

IN NOMINE SANCTÆ & INDIVIDVÆ TRINITATIS, Patris & Filij, & Spiritus sancti. Synodus Prouincialis Gnesneñ, Anno Domini, Millesimo, Sexcentesimo Septimo. Indictione quinta, Pontificatus SSmi D. N. Dñi PAVLI Papæ V. anno tertio: pro die octaua Mensis Octobris, Petricouiæ, in Ecclesia Parochiali, legitimè congregata: Præsidente Illmo & Rñmo Dño Bernardo, tit: S. Ioannis ante Portam Latinam S. R. E. Presbytero Cardinali, Macieiovvski nuncupato, Archiepiscopo Gnesnensi, L. N. Regni Poloniæ Primate, & Primo Principe: Præsentibus autem Rñmis Dñis Comprouincialibus Episcopis, Petro Tylicki, Cracouiensi; Alberto Baranovvski, Wladislauiensi & Pomeraniæ; Laurentio Gembicki Culmensi; Georgio Zamoyski, Chelmensi; Paulo Wolucki, Camenecensi, nominato Luceoriensi, & Administratore, Abbatiæ Claræ Tumbæ; Ottone Schenking, Vendensi: ac Rñdiss: Dominorum, Ioannis Zamoyski, Archiepiscopi Leopolien: Valentino Wargocki Decano Leopoliensi; Benedicti Woyna, Wilnen: Nicolao Pacz Suffraganeo Vilnẽsi; Laurentij Goslicki, Posnanien: Iacobo Lempicki Abbate Lubinensi; Martini Szyszkovvski Luceorien: nominati Plocen:

Plocen: Christophoro Charbicki Scholastico Wladislauiensi; Matthiæ Pstrokonski, Præmislien: Cancellarii Regni, Alberto Klothneo I. V. Doctore, Parocho Petricouiensi; Melchioris Gedroicz, Mednicen: Melchiore Heliaszovicz. Christophori Kazimirski, Kiiouien: Alexandro Zahacki, Episcoporum: necnon Rñdis Dñis Vincentio de Seue I. V. Doctore Archidiacono, & Suentoslao Sarnovvski Cancellario, Gnesnen: Stanislao Widavvski Canonico Leopoliensi: Nicolao Dobrocieski, & Andrea Lipski I. V. Doctoribus, Canonicis Cracouieñ. Andrea Czacki Decano, & Balthasaro Miaskovvski Archidiacono Pomeraniæ Sacræ Theol: Doctore; Nicolao Iasinski Cantore Vilnensi; Martino Przeborovvski, & Gasparo Hap I. V, Doctore, Canonicis Posnanieñ: Ioanne Gorski, Plocensi, & Petro Grochouicki Poltouiensi, Archidiaconis; Matthæo Kurkouicz Sacræ Theol: Doctore, Canonico Præmisliensi; Ioanne Pisinski, Cantore Warmiensi, Canonico Culmensi; Ioanne Wisimirski, Canonico Miednicensi; Gasparo Myszkovvski, Chelmensi; Baltasaro Thiska I. V. Doctore, Canonico Camenecensi, Capitulorum suorum Nunciis: Rñdis item ac Religiosis Dñis, Alberto Mielinski Tremesnensi; Iacobo Lempicki Lubinensi, Gnesnensi, Cracouiensi Canonico; Matthæo Borzevvski Landensi; Stanislao Borzyslavvski Wagrouocēsi; Stephano Charbicki Præmetensi; Stanislao Remiszovvski Paradisien: Abbatibus; Alberto Baranovvski Koscielnensi, Gabriele Kielczevvski Strzelnensi, Præpositis; Alberto Rufino, Michaëlis Maliszevvski S. Crucis in monte Caluo; Iacobo Iasinski, Bartholomæi Povvsinski Andreouien: Ioanne Turobin, Hieronymi Ossolinski Coprivvnicen: Ioanne Vrbankovvic, Hieronymi Solikovvski Wachocen: Felice, Stanislai Makovviecki Coronouien: Iacobo Fulgrauio, Nicolai Kostka Peplinen: & Dauidis Konarski Oliuen: Ioanne Dłuski, Sebastiani Grabovviecki Bledzovvieñ: Abbatum, legittimis ex causis absentium Nunciis; peracto

Sacro ritu solenni Missæ officio, inuocataq; Spiritus sancti gratia, agnoscens cum Apostolo, non esse sibi colluctationem aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus spirituales nequitias in cœlestibus, ac proinde, scutum, in quo posset omnia tela nequissimi ignea extinguere, assumens: professionem inprimis Catholicæ fidei iuxta formulam à Pio Papa quarto præscriptam, vniuersa præstitit, positoq; hoc firmo ac vnico, contra quod portæ inferi nunquam præualebunt, fundamento, fœdus illud à quibusdam cum morte & inferno percussum, quod licentiam blasphemandi sancta, credendiq; vt libet cuique concedit, detestata & execrata est; decretumq; contra illud, in Synodo Prouinciali, Anno Domini, Milesimo, Quingentesimo, Septuagesimo septimo, celebrata latum, cum omnibus punctis & clausulis eius reassumpsit, ac tandem Statuta infrascripta, vnanimi omnium consensu, edixit & sanxit.

De Doctrina fidei Catholicæ propaganda.

QVia præcipuum Episcoporum & Sacerdotum munus est, fidem & religionem Catholicam docere & propagare: Statuit & decernit Sancta Synodus, vt in omnibus Dominicis & Festiuis diebus, hi ad quos cura animarum pertinet, plebes sibi commissas, pro sua & earum capacitate, pascant salutaribus verbis: docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem: annunciandoq; eis, cum breuitate & facilitate sermonis, vitia quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oporteat; vt pœnam æternam euadere, & cœlestem gloriam adipisci valeant; semperq; hoc nomine, vnā Concionis partem ex Euangelio occurrentis temporis, alteram ex Catechismo Romano ad Parochos, desumant. Domos item Parochianorum suorum, certis temporibus ex antiqua consuetudine visitando, doceant eos rudimenta fidei, ac quàm piè & Christianè viuant, inquirant, In Scholis etiam

etiam, pueri doceantur Catechiſmum Cardinalis Bellarmini, vel Ledeſmæ, eundemque vbi id commodè fieri poteſt, in Eccleſijs coram populo recitent, Parocho, vel eius Vicario præſente, atque hæc quæ recitauerunt, vberiùs ad captum populi declarante. Moneantur præterea patres & matres familiâs, vt ſingulis diebus, manè cum liberis & familia ſua, Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, Symbolum, & confeſſionem generalem recitent. Cætera quæ huc ſpectant, clariùs patebunt ex Epiſtola Paſtorali ad Parochos, quam promulgatam olim ab Illmo Dño Cardinali iam Archiepiſcopo, dum Epiſcopus Cracouienſis eſſet, pro Clero illius Diœceſis, nunc ad Prouinciam vniuerſam, vt commodam & apprimè vtilem, Synodus extendit.

De reformandis Cleri & populi moribus.

NIhil eſt, quod alios ad pietatem & cultum Dei magis inſtruat, quàm eorum vita & exemplum, qui ſe Diuino miniſterio dedicârunt: Cùm enim à rebus ſeculi, in altiorem ſublati locum conſpiciuntur: in eos tanquam ſpeculum, reliqui oculos coniiciunt; ex ijsq; ſumunt quod imitentur. Quapropter decreuit ſancta Synodus, vt Reuerendiſs: Dñi Locorum Ordinarij, quæ aliâs à ſummis Pontificibus, ſacris Concilijs, & Synodis Prouincialibus, de Clericorum vita & honeſtate, cultu, doctrinaq; retinenda, ac ſimul de ebrietate, comeſſationibus, choreis, aleis, luſibus, & quibuſcunq; criminibus, necnon ſecularibus negotijs fugiendis, copioſè ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem obſeruent, & in executionem deducant; quemadmodum Sacro Tridentino Concilio ſalubriter cauetur; viſitationes intermiſſas reſumant, & iam factas exequantur: inq; ijs non ſolùm in deprauatos Cleri mores, ſed etiam in publica & notoria populi peccata, pro poteſtate ſibi competenti, animaduertant.

De lu-

De luxu vitando.

CVM ij qui Spirituale ministerium suscipiunt, non ad diuitias aut luxum, sed ad labores pro gloria Dei vocati sint: Hortatur sancta Synodus omnes, tam maiores, quàm minores ordinis eiusdem, vt secum ea meditantes, factis etiam ipsis, ac vitæ actionibus, quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus, suo se muneri conformes ostendant; inprimis verò modesta supellectili, & mensa, ac victu frugali, vestituq; non sumptuoso sed moderato, iuxta Statutorum Prouincialium præscripta vtantur; familias & equos, vltra necessitatem non foueant; caueantque, ne quid in reliquo vitæ genere, atq; tota domo illorum appareat, quod à sancto instituto sit alienum, quodq; non simplicitatem, ac vanitatum contemptum præseferat: Neque enim dubitandum est, reliquos etiam fideles, ad frugalitatem & modestiam faciliùs inflammandos, si Præpositos suos viderint, non ea quæ mundi sunt, sed animarum salutem, ac cælestem patriam cogitare: vnguentumq; boni exempli, descensurum ex capite Aaron in barbam, & in oram vestimenti eius.

De iuuandis Pauperibus.

ET quia quod luxui subtrahitur, non in alium magis, quàm pauperum vsum, quorum patres nominamur & esse debemus, conuertere conuenit: hortatur Synodus vniuersos Clericos, cuiuscunque status & conditionis existant, vt induti viscera misericordiæ, non solùm pro parte ac viribus ipsi suis, succurrant inopiæ pauperum; verumetiam alios ad idem præstandum, assiduis cohortationibus inflamment, contendantq; vt quod in Concilio Turonen: secundo, sanctè statutum fuit, vnaquæq; Parochia, suos proprios pauperes alat; vagos autem & validos mendicantes, iuxta antiqua Statuta Regni arceat, neq; veris & proprijs pauperibus præripere eos eleemosynam patiatur. In quibus autem lo-

tem locis Hoſpitalia habentur, adminiſtratores illorum, ex annuis redditibus, & eleemoſynis, promptam benignamq́; curam pauperum habeant: à quibus Ordinarii locorum, per ſe, vel Commiſſarios ſuos, rationem exigant. Et quia hæc tanta pauperum multitudo in Regno, ex Dominorum oppreſſione vt plurimùm prouenit; præcipit eadem Synodus, vt Prælati, quoſcunq; ſubditos ſuos, clementer ac benignè tractent. Parochi verò, & cæteri quibus cura imminet animarum, perſuadeant Dominis, dum prædicant verbum Dei, & confeſſiones illorum audiunt, vt ab oppreſſione ſubditorum ſuorum abſtineant, ne fortè clamor eorum aſcendat in cœlum, & deſcendat Dominus vindicetq́; clamorem populi ſui.

De libertatibus & Iuribus Eccleſiæ tuendis.

ANimaduertens ſancta Synodus, in proximè præteritis Regni Comitiis, contra iura antiqua & libertates Eccleſiaſticas, Conſtitutiones aliquas conditas & euulgatas eſſe; hortata eſt Reuerendiſſ: Dños Archiepiſcopos & Epiſcopos, vt quemadmodum multi ex ſecularibus quærunt modos, quibus certas Conſtitutiones in eiſdem Comitiis ſancitas corrigere, vel in totum abrogare in futuris Comitiis poſſint; ita & ipſi ſedulam adhibeant curam & diligentiam, cùm apud Sacram Maieſtatem Regiam, tum apud Ordines Regni, vt Conſtitutiones huiuſmodi, contra Eccleſiæ iura & Priuilegia latæ, in proximè futuris Comitiis abrogentur; præſertim cùm Reuerendiſſ: Dñi Archiediſcopi & Epiſcopi, in eiuſmodi leges nouas conſentire non potuerint, nec ſe conſenſiſſe affirment, & publicè proteſtentur.

De iuriſdictione Eccleſiaſtica.

CVM iuriſdictio Eccleſiaſtica, non ab hominibus, ſed ab ipſo Deo proueniat, qua ſancti illi Pontifices, etiam

in mediis persecutionibus, in promptu habentes vlcisci omnem impietatem & inobedientiam, extollentem se aduersus Deum, liberè vsi sunt semper; ideò curabunt Reuerendiss: Locorum Ordinarij, vt iurisdictione sua spirituali, hactenus neglecta & intermissa, vtantur, delictaq; & crimina, quæ & grauitate, & frequentia iram Dei prouocant; qualia sunt rapina, vsuræ, adulteria, incæstus, concubinatus, periuria, simoniæ, cæteraq; huiusmodi flagitia & scelera, quæ inundauerunt, Sacrorum Canonum pœnis coërceant; certò confisi, si brachium seculare executionem facere noluerit, vel non potuerit, Deum ipsum eam facturum, qui dixit: *Ecce ego vobiscum sum, vsque ad consummationem sæculi.* Vt autem iurisdictio hæc, debito ordine tanquam Dei opus exerceatur: dabunt operam Reuerendiss: Dñi Episcopi, vt in Curiis suis, Cancellarios viros graues, Iurisperitos Deum timentes, zelantesq; iustitiam sanctam eius, Notarios item, Procuratores, & Causarum officij sui promotores habeant.

De restitutione Ecclesiarum desolatarum.

QVamuis Diuinâ fauente gratiâ, non paucæ Ecclesiæ, quæ antea per impios prophanatæ & desolatæ erant, religioni Catholicæ restitutæ sunt; Quia tamen magnus adhuc earum est numerus, quas vel hæresis detinet, vel improba cupiditas auarorum occupat: Censuit Synodus, vt de restituendis atq; reformandis eisdem, Reuerendiss: Dñi Ordinarij locorum, sedulò elaborent. In quo, illud inprimis opportunum videtur fore, vt patronos earum moneant, quatenus personas idoneas, intra tempus sibi à iure præfixum præsentent, aliâs tempore lapso, ipsi pro iure suo prouidere Ecclesiis de idoneis Rectoribus non postponant. Deinde ne vacantes Ecclesias committant alicui in Commendam, vel Officiales suos committere permittant, nisi ad sex Menses, & pro vna vice tantùm, posteaquam nimirum, cessu vel

decessu Rectorum, vacuerint. Prouidendum est denique, ne aliarum Ecclesiarum ædificatione, Parochiales Ecclesiæ detrimentum patiantur, & ad desolationem veniant. Quod si in aliquo loco nullo modo Ecclesia prophanata recuperari possit, populus eius vuà cum iuribus & fructibus, viciniori Parochiæ adiungatur, quoad Ecclesia illius propria, pristino statui restituta non fuerit.

De compositione cum seculari statu ineunda.

QVia in proximè præteritis Regni Comitijs statutum est, ut compositio inter Status à multis retroactis annis tentata, & toties expetita, hoc tandem iam Anno Varsauiæ pro festo S. Martini Pontificis ineatur: Sancta Synodus, desiderio fratrum suorum Statûs secularis satisfacere cupiens; Ex Archidiœcesi & Diœcesibus totius Prouinciæ, deputauit infrascriptos Rñdos & Religiosos viros, qui habebunt potestatem, cum Reuerendiss: DD. Episcopis, & alijs Senatoribus secularibus, in Constitutione Regni nominatis, necnon Deputatis Palatinatuum, ex Equestri Ordine, negotium hoc Compositionis, in numero pari, iuxta instructionem illis à Synodo datam tractare, iuribus Ecclesiæ, & S. Sedis Apostolicæ saluis. Horum autem Deputatorum ea sunt nomina, Ex Archiœdecesi Gnesneñ. Rñdi Dñi, Albertus Mielinski Tremesnen: Matthæus Borzevvski Landen: Abbates. Franciscus Lipski, Adamus Novvodvvorski, Canonici Gnesnen. Sebastianus Makovvski Lancicien: & Albertus Drvvalovvski Curelouien: Custodes. Ex Leopolien: Valentinus Wargocki Decanus, & Stanislaus Widavvski Canonicus Leopolien. Ex Diœcesi Cracouien: Michaël Maliszevvski Abbas S. Crucis; Hieronymus Ręczayski Archidiaconus, Hieronymus Povvodovvski, Nicolaus Dobrocieski, Andreas Lipski, Canonici Cracou. & Paulus Szczerbic Præpositus Sandomirien. Ex Wladislauien: Ioannes Albertus

bertus Grochovvicki Præpositus, Andreas Czacki Decanus, Balthasar Miaskovvski S. T. Doctor Archidiaconus Pomeraniæ, in Ecclesia Cathedrali Wladislauien: & Matthias Karski Canonicus Wladislauien. Ex Vilnen: Nicolaus Pacz Suffraganeus, & Nicolaus Iasinski Cantor Vilnen. Ex Posnanien: Andreas Rychlicki I. V. Doctor, Suffraganeus Posnanien: Stanislaus Remiszovvski Abbas Paradisien: & Ioannes Kuczborski, Archidiaconus Warsouien. Ex Plocen: Ioannes Gorski Plocen: Petrus Grochovvicki Poltouien: in Ecclesia Cathedrali Plocen: Archidiaconi; Ioannes Glinski Plocen: & Ioannes Raciborski Poltouien: Canonici. Ex Luceorien: Franciscus Zaierski Præpositus Luceorien: & Stanislaus Piotrovvski Plebanus Surazien. Ex Præmislien: Georgius Branecki Præpositus, & Matthæus Kurkouvicz, S. Theol: Doctor, Canonicus Præmislien. Ex Culmen: Ioannes Pisinski, Cantor Varmien: Canonicus Culmen. & Iacobus Zoltovvski Parochus Neoporiensis. Ex Chelmen: Stanislaus Krasovvski, & Iacobus Lubovvicki, Canonici Chelmen. Ex Mednicen: Melchior Heliaszovvicz Parochus Krozensis.

De Statutis Prouincialibus antiquis.

CVM vix iam aliqua exemplaria Constitutionum Prouincialium, studio & opera Reuerendiss: olim in Christo Patris, D. STANISLAI KARNKOVVSKI, Episcopi Wladislauien: collectarum reperiantur, nec fieri possit, vt ea decreta debitè seruentur, quæ à plurimis ignorantur: ideo Sacra Synodus, easdem Constitutiones Prouinciales, quæ sunt consentaneæ, nec repugnant SS. Concilij Tridentini decretis, sacrisuè Canonibus aut Constitutionibus Apostolicis, in pristino suo robore reseruandas, & de nouo imprimendas decernit; ad easq; diligentiùs inspiciendas, & cognoscendas, deputat Reuerendos Dominos, Nicolaum Dobro-

cieski,

cieski, & Ioannem Foxium, I. V. Doctores, Canonicos Cracouień: iisdemq; moderationem taxæ processuum, in eisdem Constitutionibus contentæ, ad duplam reducendi commisit. Pro qua impressione Illustriss: & Reuerendiss: Dominus Cardinalis Archiepiscopus Gnesnen: promisit se impensam daturum.

De non alienandis bonis Ecclesiæ.

PRouidebunt Reuerendiss: Domini Episcopi, vt arces & tenutæ Episcopales, non priùs in potestatem Præfectorum & Capitaneorum tradantur, quàm hi iurauerint, vel inscriptionem officiosam, eorum Actis quibuscunq; authenticis, Episcopo eiusq; Capitulo fecerint, quòd bona fideliter administrabunt, nec eadem desertabunt; cum etiam, quòd vacante Sede, siue per cessum, siue per decessum, bona sibi locata, in manus Capituli dimittent, & liberè resignabunt. Vt autem damnis eiusmodi Episcopalium bonorum, siluarumq; deuastationibus, & ademptionibus fundorum occurratur, Reuerendiss. Domini Episcopi, visitationes bonorum Episcopalium, à Capitulis fieri permittant, illasq; exequantur; alioquin ad Sedem Apostolicam, qui contrauenerint, deferentur.

SCultetiæ & Mineræ ferrariæ, plerumque Nobilibus in ius aduitalitium conferri solent, qui postmodum Priuilegio Nobilitatis iurisdictionem Ecclesiasticam detrectant: Proinde statuitur, vt in posterum, cum Contractus huiusmodi locationum, in casibus à Iure permissis tantùm faciendarum, initi fuerint; non priùs illis Priuilegium à Capitulo tradatur, quàm coram Actis Castrensibus, renunciauerint Priuilegio fori, quoad illam Sculteciam & Mineram, tum, vt cessante illorum iure aduitalitio, quarta pars summæ pecuniariæ, siue ex literis Originalibus, siue ex taxa Commissiariorum prouenien-

uenientis detrahatur, & extinguatur; qui etiam Sculteti ab oneribus & seruitijs, in literis Originalibus expressis, non eximantur; nec eis aduitalitates duæ, marito & vxore exceptis, concedantur.

De Decimis.

PRohibet sancta Synodus, sub pœna excommunicationis incurrenda, ne quisquam, etiam Regularium cuiuscunq; Ordinis, subtrahentes quoscunque, vel impedientes decimas debitas Ecclesijs, absoluere præsumat, nisi plena restitutione illarum secuta: similiter eos, qui in Concionibus, aut vbilibet aliâs proferent aliquid, quo audientes à solutione decimarum auertant, vel conscientijs confitentium sibi, nullum de industria super solutione earundem, scrupulum iniiciant, declarat pœnas incurrere, in Clement: *Cupientes*, de pœnis sancitas.

De Iudicibus ad Tribunal deputatis.

PEnsiones deputatis ad Iudicia Tribunalis Regni assignatæ, duabus rathis, vna videlicet pro festo S. Martini, alia verò pro Dominica Palmarum, ad manus Procuratorum Capitularium, singulis annis, sub pœna dupli, per Reuerendiss. Dños Lociordinarios, in eos qui soluere neglexerint ferenda, reddantur. Quod si ijdem deputati tardiùs ad Iudicia venerint, vel priusquam limitatio generalis Iudiciorum facta fuerit, inde discesserint, pœna restitutionis pensionum acceptarum, per Ordinarios puniantur.

PLacuit quoque Synodo, vt Reuerendiss: Dñi Locorum Ordinarij, certos aliquos Procuratores apud idem Tribunal Regni, suo sumptu constituant, qui egentioribus Parochis, & alijs Sacerdotibus, in prosequendis contra seculares eorum iniurijs, in bonisque eorum & iuribus Ecclesiarum vindicandis, fideliter consulant ac patrocinentur.

AD querelam Cleri Magni Ducatus Lithuaniæ, & Samogitiæ, de loco ipsis in Iudicijs Tribunalicijs per seculares adempto; Statuit Synodus, vt Reuerendiss: Dñi Episcopi, in proximè generalibus Comitijs, apud Sac: Regiam Maiestatem, & Ordines Regni, diligenter & sedulò agant, quò iuxta iura & antiquas consuetudines, vsumq; perpetuum, in locum pristinum compositi iudicij, restituantur.

De Regularibus.

PRiuilegia & immunitates Monasteriorum, vt S. R. Maiestas, pro sua pietate, manu teneat & obseruet, Reuerendiss: Domini Episcopi, sedulò cum sua Maiestate agant.

ORdinis Prædicatorum controuersia, de Prouincia Russiæ exorta, quæ iam à Sede Apostolica decisa est, ne importuna quorundam solicitatione innouetur, Reuerendiss: Domini Episcopi, vigore Synodi huius, petitionem suam apud Sedem Apostolicam interponant.

REuerendi Domini Abbates, & Præpositi Regulares, Constitutione publica, in proximè præteritis Comitijs lata, de educandis liberis Nobilium, grauatos se nimiùm esse, vel ex ea potissimùm ratione sentientes, quòd pœnæ de Corthesanis, nimirum factum ipsum excedentes, quæ statum & prærogatiuas illorum non postremè afficiunt, contra illos promulgatæ sint, coram Synodo grauem exposuerunt querelam; atque vt de tollenda hac Constitutione, in proximè futuris Comitijs, Reuerendiss: DD. Episcopi sedulam operam nauent, petierunt. Reuerendiss: autem DD. Episcopi, se idipsum facturos libenter obtulerunt.

IVdicium rationis exigit, vt qui in Ecclesia Dei, ob, vel officij excellentiam, vel religionis vitæque tranquillionis statum, sublimiori loco positi sunt, peculiari quoq; præ cæteris modo,

modo, in eorum occurrentibus tractentur negotijs. Proponentibus itaque Dominis Abbatibus diuerſorum Ordinum Prouinciæ huius; Statuit & decernit Synodus, quòd de cætero, coram Locorum Ordinarijs ipſis, aut eorum ſpecialibus Commiſſarijs, conueniantur.

De Veneratione Sanctorum.

PLacuit ſanctæ Synodo, vt feſtum S. Hyacinthi, proxima Dominica poſt feſtum Aſſumptionis B. M. Virginis, per vniuerſas Prouinciæ Diœceſes, celebretur.

Feſtum quoque Sancti Caſimiri Confeſſoris, ſub duplici officio, die quarta Martij, per omnes omnium Diœceſum Eccleſias, celebrandum ſtatuit.

Tranſlata feſta, more Romanæ Eccleſiæ, ad populum non celebrentur; excepto feſto Annunciationis B. Mariæ, ac Sanctorum Adalberti & Staniſlai, Patronorum Regni.

Curabunt Reuerendiſſ: Domini Epiſcopi, vt officia Patronorum Prouinciæ, per Socolouium conſcripta, à Sede Apoſtolica confirmentur.

Cùm ab Illuſtriſſ: & Reuerendiſſ: Domino Cardinali, Archiepiſcopo & Primate Regni, præſidente in Synodo, expoſitum fuiſſet, quanta Deus, qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis, operetur miracula, ad memoriam Beati Staniſlai Koſtka Poloni, qui in flore adoleſcentiæ, Societatem IESV ingreſſus, multiſque & maximis innocentiæ ac ſanctitatis vitæ datis documentis, defunctus in Vrbe Romana quieſcit, gaviſa Synodus magnoperè, nouo gentis ſuæ patrono gratiiſque hoc nomine Deo actis, ſtatuit ſupplicandum SS. D. N. vt eum, quem iam S. Sedes Apoſtolica Beatum declarauit, in Sanctorum numerum referre dignetur; poſtulatque ab Illuſtriſſ: Domino Cardinali, vt hoc deſiderium eius, etiam

repetitis vicibus, quod opus fuerit, eidem SS. Ecclesiæ Romanæ Pontifici, eiusq; S. Sedi, quàm instantissimè cōmendet.

De vnione Ruthenorum ritus Græci, cum Ecclesia Romana, promouenda.

CVM Deus sit pacis, & non diuisionis auctor, Filiusque Dei in hoc venerit in mundum, vt vtraque faceret vnum; docet sancta Synodus inueniri aliquos, qui vnionem Ruthenorum ritus Græci, cum Sancta Romana Ecclesia, à maioribus suis diu expetitam, & antiquis Priuilegijs firmatam, nostrisque demum temporibus, quasi postliminio reuersam, oppugnare, ac quantum in illis est, impedire conantur: Monendos proinde esse omnes Catholicos censuit, monetque, ac in remissionem peccatorum eisdem iniungit, vt hoc negotium sanctæ Vnionis, omni fauore prosequantur, promoueant, tueantur. Statuitque præterea, vt Reuerendiss: DD. Episcopi, auctoritatem suam, apud Regiam Maiestatem, atque vniuersos Ordines Regni interponant, & sedulò current, vt Constitutio in generalibus Comitijs nuper celebratis, contra Iura antiqua & immunitates eorundem Ruthenorum, in Vnione sanctæ Romanæ Ecclesiæ existentium sancita, inque magnum præiudicium Reuerendiss: Domini Hipatij Pociey, Metropolitæ Kiiouiensis, cuius indefessum studium in promouenda sancta Vnione, atque egregia in Ecclesiam Dei merita prospectissima sunt omnibus, lata abrogetur.

De stipendio Academiæ Cracouiensi soluendo.

CVM Academia Cracouiensis, sit in hoc Regno vetus Ecclesiæ Dei, & Reipubl. seminarium, cuius eruditio

& doctrina, in omnes Regni partes diffunditur; Reuerendiss: DD. Archiepiscopus & Episcopi, rogatu totius Cleri, stipendium Professoribus eius, iam antea in Synodo Petricouiensi Anno 1577. constitutum, & per Sedem Apostolicam confirmatum, in executionem debitam deducere, illudq; quotannis pro festo Epiphaniæ Domini, dare & conferre promiserunt, sub pœna dupli in non soluentes, per Illustriss: Dominum Archiepiscopum, pro tempore existentem, ad instantiam Rectoris eiusdem Academiæ, extendenda. Insuper ad augendum hoc idem stipendium, Reuerendiss: Dñus Ioannes Zamoyski, Archiepiscopus Leopoliensis, per Reuerendum Dominum Valentinum Wargocki Decanum, Nuncium suum Leopolień: quadraginta: Reuerendiss: verò Paulus Wolucki Episcopus Camenecen: triginta florenos pecuniæ, monetæ & numeri Polonicalis, se soluturos quotannis pro eodem festo Epiphaniæ Domini, Synodaliter obtulerunt. Vt autem hæc extraordinaria stipendiorum accessio, cum fructu studiorum distribuatur, sacra Synodus Reuerendiss: Episcopo Cracouiensi, ad quem potissima cura Academiæ, tanquam Cancellarium ipsius pertinet, commisit, vt per se, vel per aliquos viros prudentes & graues, reformationi eiusdem Academiæ, diligentissimè intendat, iuxta præscriptum Constitutionis Synodi Prouincialis, Anni Millesimi, Quingentesimi, Septuagesimi septimi.

De reformatione Collegij Posnaniensis.

AD postulationem Nunciorum Venerabilis Capituli Posnanień: decreuit Synodus, monendum Reuerendiss: Dñum Episcopum Posnaniensem Synodaliter, prout præsenti Constitutione monet; vt Scholam circa suam Cathedralem, per Reuerendiss: olim Ioannem Lubrański præde-

prædecessorem suum, sumptuosè fundatam, & magnificè extructam reformet, ac in statum meliorem reducat; cùm ea desolata, magnum Ecclesia, & cultus Diuinus, ob defectum Scholarium qui cantent in choro, detrimẽtum patiatur.

De Nuncio ad Sedem Apostolicam mittendo.

CVpiens Synodus sacra, vt Decreta, Statuta, & Ordinationes omnes, ad præsens per eam sancitæ, vim & robur suum, ad omnes, pro futuris etiam temporibus habeant; Nuncium pro approbatione illarum obtinenda, alijsq; negotijs suo nomine peragendis, ad SS. D. N. Dñum PAVLVM, Diuina prouidentia Papam V. Sedemque S. Apostolicam, Rñdum Vincentium de Seue I. V. Doctorem, Lasceñ: Louiciensemq; Præpositum, & Archidiaconum Gnesneñ: deputat; neque prius has ipsas Constitutiones in executionem deducendas, quàm authoritate eiusdem SS. D. N. ipsiusque Sanctæ Sedis Apostolicæ, reuisæ atque approbatæ fuerint, decernit.

Epistola Pastoralis inserta habetur Synodo Wezykouianæ.

A.

de Antiphonarijs

B.

De Caeremon.

C.

Comitijs &

Decani.

D.

de Ecclesia

E

Fabrica

F.

G.

H.

I.

de Libertatib.

L

M.

N.

O.

P.

R

De Sacram.

S.

T.

V.

t: Prouin: Rom: Pol: